

## CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

### MONTISVIRGINIS ET ABELLINENSIS

de abbatiae territorialis Montisvirginis necnon dioecesis Abellinensis finium mutatione.

#### DECRETUM

Montisvirginis venerabilis Abbatia, anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo a Papa Alexandro IV erecta, imaginis Beatae Virginis Mariae praesentia necnon sancti patriarchae Benedicti carismate benedicta, amorem ac devotionem erga eandem Dei Matrem quibus eminet totam in Italiam inferiorem diffudit. Monachi Abbatiae Montisvirginis, praeter impensam religiosam vitam intra monasterii muros, in bonum fidelium propinquarum paroeciarum ministerium per saecula laudabiliter expleverunt.

Attentis peculiaribus huius temporis adiunctis, ad hanc venerabilem monasticam institutionem proprio in suo spiritu tuendam atque ut monachi, quacumque alia sollicitudine ablata, ad augendam cum Deo intimam unionem et ad divinam laudem se integre dicare possint, Summus Pontifex Benedictus, Divina Providentia PP. XVI, eiusdem Abbatiae territorium noviter definiendum statuit.

Quapropter, auditis Conferentiae Episcoporum Italiae Praeside atque Congregationis Benedictinae Sublacensis Abbe Praeside aliisque quorum interest, praehabito favorabili voto Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Congregatio pro Episcopis presenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur mandat ac decernit:

5. territorium Abbatiae territorialis Montisvirginis posthac constituitur e Sanctuario Beatae Mariae Virginis ac coenobio ei annexo in monte vulgo «Partenio» positis, atque e domu abbatiali «di Loreto» eiusdem communatis monasticae in municipio vulgo «Mercogliano» exstante;

6. ad Abbatiam territoriale Montisvirginis pertinebunt tantummodo sodales eiusdem domus monasticae (monachi, novitii atque postulantes);

7. dioecesi Abellinensi uniuntur Paroeciae civiliter nuncupatae «Annunziata e S. Guglielmo», «Maria Ss.ma Addolorata», «S. Modestino Vescovo», «Ss. Pietro e Paolo», «S. Nicola di Bari», et «S. Maria Assunta» in municipio

« Mercogliano »; « Ss. Filippo e Giacomo » in municipio « Ospedaletto d'Alpinolo »; « S. Giacomo Apostolo » in municipio « S. Angelo a Scala »; « S. Nicola di Bari » in municipio « Summonte ». Statuitur quoque ut, una cum territorio illarum paroeciarum, ecclesiae, oratoria, domus, piae fundationes et quae-  
cumque alia ecclesiastica bona et iura ad easdem paroecias pertinentia pre-  
fatae dioecesi adnectantur;

8. simul ac Abbatiae territorialis Montisvirginis nova territorii definitio ad effectum deducta fuerit, dioecesani sacerdotes, clerci seminariique tirones dictae Abbatiae dioecesi Abellinensi incardinentur.

Ad haec omnia perficienda idem Summus Pontifex Exc.mum P.D. Paulum Romeo, Archiepiscopum titulo Vulturiensem et in Italia Apostolicum Nuntium, deputavit, necessarias et oportunas eidem tribuens facultates, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die xv mensis  
Maii anno 2005, in Sollemnitate Pentecostes.

ꝝ IOANNES BAPTISTA card. RE  
*Praefectus*

ꝝ Franciscus Monterisi  
*a Secretis*

L. S.